



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Praxis Meditationum S.P. Ignatii Loyolae

Diertins, Joseph

Solisbaci, 1708

Med. 61. Ejusdem Myst. punct. 2.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60232](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60232)

MEDITATIO. LXI.

De sedatâ maris tempestate. Matt. 8.

Myft. punct. 2.

CONG. Desiderium incredibilem Christi bonitatem in nos perspiciendi.

PRÆL. I. Quomodo Discipuli excitaverint Christum, qui de fidei levitate eos arguit.

PRÆL. II. Intueri navim, & locum, in quo Christus excitatur.

PRÆL. III. Petere gratiam, secundum Deum benè nos dirigendi in tempestatibus & adversis.

PUNCTUM I. PERSONÆ. MEM. Intueamur Discipulos in tempestate anxios, sollicitos, timidos, inopes consilii: dormiente Christo.

INTEL. Hic contigit id, quod habetur Ps. 106. Nam Christus, quamvis dormiret, *dixit, & stetit spiritus procella, & exaltati sunt fluctus ejus: ascendunt usque ad Cælos, & descendunt usque ad abyssos: anima eorum in malis tabescebat. Turbati sunt, & moti sunt sicut ebrius, & omnis sapientia eorum devorata est.* REFL. Nos verò quando tales tempestates nobis obveniunt, sciamus illas dicente & permitente Deo nobis evenire.

VOL. Dicamus in ejusmodi difficultatibus ad Deum, id quod legitur. 2. Paralip. 20. *Cum ignoremus, quid agere debeamus, hoc solum habemus residui, ut oculos nostros dirigamus ad te.*

PUNCTUM II. VERBA. MEM. Audiamus Discipulos ad Christum *dicentes: Domine salva nos, perimus. Et dicit eis Jesus: quid timidi estis modica fidei?* Matth. 8.

INTEL. Sic legitur in Psalmo supradicto: *& clamaverunt ad Dominum cum tribularentur.* Sed Christus increpat modicam illorum fidem. **REFL.** Nobis quoque dici sæpè potest, *quid timidi estis modica fidei?*

VOL. Nos verò cum magnâ fiduciâ dicamus: *etiamsi occiderit me, in ipso sperabo.* Joan. 13.

PUNCTUM III. OPERA. MEM. *Et accesserunt ad eum Discipuli ejus, & suscitaverunt eum.* Matth. 8.

INTEL. Sic in periculis, & tempestatibus, Deum quasi dormientem; sed videntem, & permittentem omnia, suscitare debemus. **REFL.** Recordemur, quod Reg. 6. hebd. 1. *disc. spir.* docti simus modum suscitandi, qui est, *insistere orationi cum discussione sui, ac penitentia aliquid assumere.*

VOL. Deinceps in tempestatibus clamemus: *Exurge quare obdormis Domine, exurge & ne repellas in finem: quare faciem tuam avertis, obli- visceris inopia nostra, & tribulationis nostra, &c.* Ps. 43.

COLLOQ. Quibus petatur gratia fidei, spei, & fiducia in Deum, tempore tribulationis.

RECOLLECTIO, REPETITIO APPLICATIO SENSUUM.